
DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

COLICA PICTONUM.

15
DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
COLICA PICTONUM.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

SAMUEL PETT,

ANGLUS.

Soc. Med. Edin. Soc.

Necnon

Soc. Nat. Stud. Edin. Soc. Extr.

Et

Nuper Praefes annuus.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GULIELMI CREECH.

M DCC XCIII.

REVERENDO

THOMÆ BELSHAM,

CUM OB CONSILIA ET PRAECEPTA,

TUM OB AMICITIAM,

QUA PER PLURES ANNOS

ILLUM DIGNATUS ÆST,

SEMPER COLENDO;

HOC OPUSCULUM,

ANIMI GRATISSIMI ET DEVINCTISSIMI

TESTIMONIUM,

SACRUM VOLUIT

AUCTOR.

Corrigenda.

Pag. 18. lin. 2. *lege* hos.

19. 11. exhauriente.

31. 19. æmulatur.

37. 14. fuccessu.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

COLICA PICTONUM.

AUCTORE SAMUELE PETT.

AFFECTIO, quam hujusce pensæ academici argumentum selegi, vetustioribus rei medicæ scriptoribus haud latuit: In mutilis operum eorum reliquiis, quæ cum aliis scientiarum et artium monumentis temporis ac ignorantiae manus effugerunt, manifesta morbi istius faevi qui *Colica Pictonum* audit, vestigia, quæ eandem diversis Romani imperii partibus plus satis innotuisse demonstrant, sparsim inveni-

mus. *Paulus Ægineta* quandam colicæ speciem modo in morbum comitiale, modo in membrorum resolutionem transeuntem, his verbis clare depingit.

“ Quum morbus quidem ille (nempe Colica) coepisset a finitimis Italiae regionibus, et alia pleraque loca Romani imperii, instar pestiferæ cujusdam contagionis peragraisset; unde non paucis quidem in morbum comitiale, aliis vero in membrorum resolutionem, superstitite tamen et incolumi sensu, nonnullis autem in utrumque delapsis *.”

Signa hic loci memorata a nulla alia canalis alimentarii affectione spasmodica oriuntur, et meo quidem judicio pro pathognomonicis haberi possunt. Nec mirum sane videbitur hunc morbum in quibusdam locis apud vetustos grassari solitum, utpote gens humana illi
noxæ

* *Paul. Ægin. lib. iii. cap. 43.*

noxae, quam posthac non sine gravi quidem ratione agnoscemus tanquam principem, immo solam, diri hujus mali causam occasionalem, objecta fuerit.

Effectus ejus funesti in omni Europae regione qui diu sentiebantur, etiamnum sentiuntur. Fieri non potuit quin signa gravissima quae id malum comitantur, et sequelae quibus ad vivum depingitur, medicorum attentionem in se converterint: ideoque morbum variis nominibus, quae vel loca quibus vigere solebat, vel sententiae de causa ejus fuggeriebant, descripserunt.

Sauvagesius in nosologia sua exculpta hanc affectionem genus distinctum tradit, quod in varias species pro causarum, unde morbum pendere opinatur, varietate dividit*.

Cullen autem hunc morbum generis Colicae speciebus accensuit; hocque magno cum

A 2

judicio,

* *Sauvag.* Nosol. Method. cl. vii. gen. 29.

judicio, omnibus colicae signis individuis praesentibus, quibus alia signa specialia tandem superveniunt. Colicae genus his verbis definit.

“ Dolor abdominis, praecipue circa umbilicum torquens ; vomitus ; alvus astricta *.”

Secunda hujus generis species est Colica Pictorum, quam sic complectitur.

“ Colica praesente ponderis vel molestiae
 “ in abdomine, praecipue circa umbilicum,
 “ sensu ; accedente dolore colico, primum levi ;
 “ non continuo, et praecipue post pastum aucto ;
 “ tandem graviore et fere perpetuo ;
 “ cum dolore brachiorum et dorsi, in paralyfin demum abeunte.”

MORBI HISTORIA.

COLICA Pictorum in aliis aliter incipit :
 in paucis exemplis pyrexia quidem antecedit.

* Cullen Synops. Nos. Meth. gen. lix.

cedit *. Modo subito, violenter et ex improvise impetum facit : modo pallidus aut subflavus oris color paulatim accedens, oculi torpor, tam animi quam corporis inquietudo, animi dotum defectus, pervigilium, cibi fastidium, circa praecordia anxietas, ructus, nausea, diarrhoea, saepius autem alvi durities, cum dejectionibus ad instar globulorum induratorum, praegrediuntur. Haec signa primaria ponderis, plenitudinis atque doloris in epigastrio, cibo sumpto auctus, sensus brevi excipit. Ventriculi molestia paulatim augetur, et tandem fit gravis et continua. Nausea ac dolor passibus aequis invalescunt ; et diem circiter secundum postquam signa importuna exstiterint, vomitio violenta ac crebra humoris acris et viscidi, fellisque prafini, uti plerumque solet in nisu vehementi ac diuturno ad vomendum, supervenit. Vomitus doloris remissio
statim

* Vid. Act. Med. Lond. Vol. ii. 7.

————— Vol. iii. 27.

statim excipit, aegerque causam morbi sui sublata esse spe vana lactatur; brevi autem fiducia ceu fumus fugit in auras, dolor enim solita sua acerbitate mox recrudescit.

Dolor nonnunquam per totum morbi decursum in scrobiculo cordis sedem suam figit*; sed deorsum plerumque tendit, et circa umbilicum torquens inde haud raro ad utrumvis latus velocissime vibratur, aegrumque ita afficit ut bifariam discindi sibi videatur. In dorso ac lumbis dolores acuti et lancinantes, qui per ureteres pertingentes ad vesicam descendunt, et stranguriæ ac nephritidis signa gignunt, haud raro sentiuntur. Morbus modo in scrotum ac inguina, modo in femorum, crurum, pectoris, humerorum, aut brachiorum musculos dolores suos deinceps jaculatur. Postquam dolores cessaverint ea est musculorum sentiendi facultas ut levissimum digiti

* *Huxham de Morb. Colic. Damnon.*

giti tactum sine dolore immuni ferre non possint, nullo simul plerumque tumore aut dolore eorundem existente.

Observatu dignum est diversas corporis partes, saltem diffitas, quae in hoc malo patiuntur, raro aut nunquam eodem tempore affici; sic *e. g.* dolore ventriculum occupante, viscera inferiora plerumque, et procul dubio artuum musculi, tranquilla sunt: contra, his affectis, ventriculus, tubusque intestinalis dolore penitus immunes fiunt.

Morbus diversas et remotas corporis partes hoc modo alternis vicibus adortus, ad ventriculum et umbilicum acerbatus redire solet, ibique, sede sua fixa, aegrum adeo excruciat ut pars ipsa terebra perforari videatur*.

Abdomen modo extrinsecus vehementer tumet adeo inflatum ut prope disrumpatur, et vis ejus sentiendi adeo augetur ut stragulo-

rum

* Vid. Acta Med. Lond. ubi supra.

rum mollissimorum pondere vel tactu levissimo, afficiatur summo cruciatu; Modo autem abdominis muscoli, omniaque ibi contenta, dorso spinam versus valide retrahuntur, jamque dolor pressu levatur. Ani et vesicæ sphincteres fere semper vexantur, modo stranguria et tenesmo subsequuntibus; modo ischuria, anoque adeo valide contracto, et sursum attracto, ut siphon non sine vi insigni eidem indifferens possit.

Valida abdominis retractio in exemplis gravioribus est signum magis usitatum, aegerque quasdam intestinorum partes in funiculos quasi contractas, alias vero dilatatas nonnunquam sentire potest*.

Vomitio et obstipatio pervicax, quamdiu dolor ac spasmus urgent, durant; et stercora sive sponte, quod tamen admodum raro fit, sive arte dejiciantur, ex globulis solidis coloris

* Vid. *De Haen* Rat. Med. Vol. iii.

ris fusci ac subviridis, fimi ovilli instar, colluvie nigricante et nonnunquam sanguine admistis, constant.

Pulsus initio raro afficitur, et aliquando per totum morbi decursum haud plus justo micat, plerumque autem, paucis diebus elapsis, celer, debilis et abnormis fieri solet; lingua mucosa albido, flavo vel subviridi saepe obducitur. Urina adeo mutabilis est ut nihil ad usum pertinens inde colligi queat. Anima nonnunquam vehementer foetet, et doloribus artus occupantibus, sudor profusus et olidus prorumpere solet *. Sub paroxysmi finem pedum plantae, margines et digiti dolore acuto saepe infestantur, digitique hoc modo affecti tumore ac rubore vexantur †.

Temporis spatium per quod morbus durat admodum variat: Raro ante diem quartum

2

B

tollitur

* *Huxham* ubi supra.

† *Fothergill* opera, Vol. ii.

tollitur, sed pro signorum magnitudine et peritia qua tractatur, in tempus longius aut brevius differtur. Utcunque vero evenerit, cum vomitus, obstipatio, spasmi atque dolores medicamentis idoneis sublata fuerint, tum summa debilitas et languor magna ex parte superveniunt; aegerque tremoribus *, motus impotentia, haud raro pedum ac manuum digitorum contractione, et spasmis artuum superiorum infestatur, qui plerumque paralyfi plus minus afficiuntur †; raro autem penitus resolvuntur, in plerisque enim exemplis motus obscurus superest. Sentiendi facultas illibata manet, immo nonnunquam praeter solitum

* Tremor metallurgorum. *Sauvag. Nosol. Meth. cl. iv. ord. iii. gen. xiv.*

† *Huskam* affirmat se vix ullum meminisse hoc morbo laborantem pedibus paralytice captum.

litum acuitur. Pulsus arteriae et calor minime minuuntur.

Paralyfis, quae huic morbo supervenire solet, fere semper atrophia musculorum insigni comitatur, quorum carnes in substantiam pulposam solvi videntur, et saepe modo non penitus evanescunt *.

Hic morbus formidolosus iis, qui eodem antea laborarunt, rursus a levibus causis, praecipue postquam paralyfis supervenerit, acci-

B 2

cidere

* Hujus rei exemplum memoria dignum in hujusce urbis nosocomio nuper fuit. Aeger erat Vitriarius qui biennium lenta valetudine marcebat; per hoc tempus gravibus abdominis doloribus et alvi duritie frequenter laborabat. Vires ejus paulatim defecerunt, artus debiles ac tremuli evaserunt; brachia et manus prope resolutae fuerunt. Scapulæ, humeri et pollicis musculi tantum non evanescere; nec aliud quidquam tegumenta communia inter et ossa praeter telam cellulosam et substantiam mucosam laxam superfuisse inventum fuit.

cidere solet: ira, frigore, diaetae errore, intemperantia, morbus recidivus fieri potest; quod membrorum resolutionem fere semper adauget. Aphonia temporaria, amaurosis, coma, delirium, haud raro hujus morbi, qui aliquando morbi comitialis paroxysmis vel convulsionibus infeliciter terminatur, effectus sunt.

Colicae Pictorum signa in diversis aegris diversissima sunt, nec ullam signorum seriem continuatam aut ordinem sequuntur. Musculorum dolores in variis corporis partibus nonnunquam aegrotum discruciant, ventriculo ac intestinis nondum tentatis. Carpi resolutio nonnullis in exemplis omnia signa praegreditur. Maniam fugacem, praesertim apud cerussæ opifices, morbi praenunciam esse observatum est *. In multis exemplis tumor parvulus alterius vel utriusque manus averssæ infra carpum observari potest, modo mobilis, modo

* Vid. Act. Med. Lond. Vol. iii.

modo fixus, et motum digitorum quorum tendinibus infedit impediens, quique alias paulatim evanescit, alias autem stabilis manet *.

Morbus interdum gradibus vix percipiendis accedit. Vires vitales lente labefactantur; aegroque impotentia, qua cuivis nisi inhabilis fit, paulatim obrepit: Torpor in totum corpus et praecipue in canalem alimentariam diffunditur; et denique animi et corporis potestates, signis discruciantibus quae morbum comitari solent vix interpositis, nullo modo resuscitandae, prope extinguuntur.

CADAVERUM INCISIO.

Phaenomena morbida, quae haec indagatio in variis aegrotantium, qui morbo succubere, partibus, et praecipue in primis viis, demonstravit, haud parum luminis ei offundunt, et plurimum signorum maxime urgentium rationem

nem

* *De Haen* Rat. Med. Vol. iii.

nem manifestam luculenter ostendunt. DE HAEN plura hujus mali exempla, cum mutationibus morbidis sectione cadaverum inventis, magna cum cura descripta, nobis suppeditavit. Longa autem foret singularum mutationum enumeratio, et consuetos hujusmodi disputationum fines excederet, nec sane necessaria videtur: illas igitur obiter et generatim perstringere juvat.

Abdomen primaria ac princeps morbi sedes videbatur, animum igitur ad viscera ejus exploranda primum ille advertit. Intestina a statu sano plurimum deflexisse comperit. In uno cadavere ilium valde contractum fuit, et paulo infra contractionem adeo dilatatum ut ejus diametros naturali triplo major fuerit. Colon autem mutationes maxime notabiles protulit: et in omnibus quae scrutatus est eosdem effectus morbosos generales invenit.

Aliae

Aliae coli partes adeo contractae fuere, ut aditus penitus occluderetur; aliae vero immane dilatatae faccos ingentes effecere. In quibusdam cadaveribus portio coli longa coarctata fuit; aliis vero ampulla insignis stricturam brevem excipiebat, quam altera coarctatio sequebatur; plures coli partes hoc modo contractae ac dilatatae sibi invicem alternis succedebant. In partibus coangustatis distinctio tunicarum, quae sibi coaluere et crassiores factae induruere, deleta est. Qua ratione colon formam et magnitudinem suam naturalem amiserat, viscera vicina e regionibus suis depulsa fuerunt.

Mutationes quas muscoli subeunt observatu dignae sunt: non solum mole valde minuuntur, (fibrae enim quarundam partium musculosae penitus evanescere videntur *) sed etiam colore et firmitate insigniter mutantur.

* Vid. *De Haen.*

tur. Cel. HUNTER * musculos manus et brachii hominis, qui domos pingendo victum quaeritabat, perscrutatus, eosdem colore florem lactis referre, et texturam fibratam eorum supra modum distinctam, tenacem et ficcam fuisse invenit.

DE MORBI CAUSIS.

Magna hujus morbi causarum diversitas a diversis auctoribus memoratur, qualia sunt coelum mutabile ; frigus ac humor ; exhalationis per cutem suppressio ; humores acres ; nimia fellis abundantia ; vina cruda et austera ; reliquiae febrium, quarum crises imperfectæ, aut quae imperite tractatae fuerunt ; venena varia, veluti cuprum, antimonium, hydrargyrum, arsenicum, plumbum ; podagra ; rheumatismus ; scorbutus ; hysteria ; melancholia ; animi affectus.

Minime

* Vid. Acta Med. Lond. Vol. i. 12.

Minime quidem quaerere audeam quonam jure singula pro causis agnoscenda sint; sat habeo animadvertere, argumenta, quibus omnes fere hae causae innituntur, esse plerumque vaga, hypothetica et fundamento parum firmo exstructa. Res factae allatae, sine quibus nulla theoria utcunque speciosa stabiliri potest, paucae, nec ullo vinculo sibi adnexae sunt; neque ex iis, causas jam memoratas in morbo inducendo statim agere, colligere fas est. Hae res faciunt potius ut credamus eas casu cum morbo concurrere, nec eidem quavis causae et effectus affinitate conjungi; vel, ad summum, debilitatem et mobilitatem ab illis causis illatas hoc agere, ut vera causa occasionalis facilius in corpus effectus suos edat. Quae vero haec sit nunc quam brevissime indagare conabor.

In hac autem investigatione cognitio illius hominum ordinis, qui huic morbo maxime et evidentissime opportunus est, multum adjuvabit. Et hic, meo judicio, nullus ne quidem

sceptico dubitandi locus erit. Satis est meminisse rei factae, Colicam Pictonum his potissimum, qui Plumbi effectibus objiciuntur, infestare. Hujus metalli calces quomodo-
cunque in corpus receptae, five a corporis superficie resorptae, five in pulmonum spiritu haustae, five denique in ventriculum deglutitae, effectus gignunt qui saluti plus minus adversantur, et indiciis, quibus Colica Pictonum insignitur, plusve minusve conveniunt.

Hujusrei argumenta numerosa atque certissima fidem faciunt; qui enim metallum crudum effodiunt, qui idem ad statum metallicum redigunt, qui diversa ejus *oxyda* parant, qui-
que denique in variis artibus quibus hoc metallum vel praeparata ex eo inserviunt occupantur, scilicet plumbarii, figuli, vitrarii, pictores, nonnunquam etiam pharmacopolae, &c. hi huic observationi, amplum aut lugubre testimonium, perhibent. Hanc affectionem ex plumbi viribus oriri ulterius confirmatur, quod aegritudines eorum saepe obtinent, quamdiu

quamdiu causae quam ponimus objiciuntur; summos enim cruciatus passi haud raro bonam valetudinem recuperant; et, quamdiu arti suae valedixerint, vel eandem majori cura exercuerint, conservant. Hæc opinio autem aliis rebus adhuc magis indubiis suffulcitur; hoc volo, morbum ex libero et improvido plumbi usu, qui olim apud medicos peritissimos diu invaluit, sæpius oriundum esse; mos enim fuit plumbum in phthisi sudore exhaurente comitata, in sanguinis profluviiis, ac gonorrhoea, in quibus inanitionibus reprimendis ut bene notum est insigniter pollet, usurpare *. Levamen autem quod attulit hoc medicamentum admodum erat fugax, hocque Colica Pictorum cum dira signorum cohorte plerumque excipiebat: Nec defunt exempla in quibus graves viscerum dolores, alvi durities et debilitas paralytica minimae ceruffae acetatae dosi succedere. Et sane exitiosi effec-

* Vid. *De Haen* Rat. Med. Vol. iii. cap. vii.

tus, qui interno plumbi usui supervenire solent, nunc tandem adeo intelliguntur, ut prope in defuetudinem abierit. Exempla quoque memoriae prodita sunt, in quibus usus plumbi etiam externus malos effectus dedit* : hoc autem rarum est †, et beneficia tam insignia ex usu ejus externo provenire solent, ut summo jure continuari videatur.

Ex exemplis jam enumeratis tuto colligi potest, plumbum *oxygenio* adjunctum, quod quidem omnibus metallis forsan necessarium videtur priusquam in corpus agere queunt, ad Colicam Pictonum excitandam par esse. Num hae vires plumbo propriae, vel ipsi cum aliis venenis metallicis, qualia sunt arsenicum, cuprum, argentum vivum, &c. communes sint, haud fatis compertum habeo. Ex collatione

* Acta Med. Lond. Vol. iii. Spectatiff. Prof. *Gregory* in Praelectionibus suis egregiis exemplum a seipso observatum memorat.

† Percival's Essays, Vol. i. p. 452.

tione autem levi effectuum arsenici vel cupri in ventriculum recepti cum effectibus plumbi, potius adducor ut credam duo priora hac vi in corpore humano non pollere; ventriculum et intestina enim statim afficiunt, et vomitionem gravissimam et diarrhoeam cient. Auctoritate cel. ILSEMANN innixi, affectiones artificum, qui hydrargyri vaporibus objiciuntur, insigniter inter se discrepare afferere possumus; nihil fatius mihi videtur quam ipsius verba in medium proferre.

“ Adficiuntur hydrargyri effluvia qui hau-
 “ ferunt lipothymia, sudore frigido, convul-
 “ sionibus, ἀραιόθησια, apoplexia, epilepsia, et
 “ praesertim artuum tremore, paralyfi, pty-
 “ alismo et dentium vacillatione. Quae ab
 “ hausto mercurio oriri solent absque prae-
 “ gressis morbis gravioribus aegros infestant;
 “ cum e contra eadem morbum nostrum,
 “ (videlicet Col. Pict.) symptomatice, prae-
 “ cedentibus nimirum ventriculi et intestino-
 “ rum doloribus, a mercurii vapore minime
 “ oriri

“ oriri solitis, subsequantur. Quibus denique
 “ addendum, quod neque ptyalismus neque
 “ dentium vacillatio, quae tamen utraque
 “ ad signa hausti mercurii pertinent praeci-
 “ pua, morbo nostro obnoxios unquam inva-
 “ dunt *.”

Alia causa, cui haec affectio magna cum fiducia ascribitur, est usus vini crudi et acidi, et succi ex pomis recens expressi, et prima facie quidem verisimilis ac speciosa videtur; constat enim ex observatione, incolas quarundam regionum in Gallia, veluti Pictones, (unde nomen morbi) et in Germania, et quoque in occidentalibus Angliae partibus, liberali huiusmodi liquorum potationi affuetos, huic malo prae caeteris opportunos esse; illumque autumno et ineunte hieme, quando haec vina nova sunt ac cruda, maxime invalescere. Cum huic
 sententiae

* Vid. Tract. *Gul. Ilsemann* de Colica Saturnina, § 26, apud *Disput. ad Morb. Hist. et Curat. Halleri*, Vol. iii.

sententiae gravissimi auctores CITOIS, BONTE *, et HUXHAM † patrocinantur, operae praetium forsan erit inquirere quali fundamento fulciatur.

Observandum est Colicam Pictonum vegetabilem, uti appellata est, Colicam Saturninam accessu, signorum decursu et eventibus ex toto referre; quod profecto suspicionem haud levem suggerit, utriusque morbi causam esse eandem: maxime enim improbabile videtur *oxyda* plumbi et fermenta eisdem in corpore humano effectus esse editura. Nobis autem gratulemur vim argumentorum in promptu esse, quae hanc rem multo magis quam analogia et ratiocinatio de causis et earum effectibus confirmant: haec enim res observationis et experientiae trutina examinata fuit.

GEORGIUS BAKER, Barónettus, in pluribus tentaminibus eximiis, quae philosophiae medicae

* Vid. Journal de Medecin pour l'an 1761.

† *Huxham* de Morbo Colico Damnoniorum.

dicae exempla habenda sint, tantam argumentorum vim summa cum diligentia collegit, quanta maxime incredulo fidem faciat Colicam Pictonum nunquam ab acido frugum primo oriri posse. Per longum factorum inductionem collegit et probavit, plumbi *oxyda* in omnibus exemplis, quae ex fermentis pendere existimabantur, adfuisse *. Res praecipuae quibus hanc consequentiam fundavit hic loci sequuntur.

Per plura saecula mos, quem nulla lex coercere potuit, invaluit, corrigendi saporem acerbum vini levioris Gallici ac Germanici plumbo, cujus *oxydum* vinorum acido conjunctum ipsorum acorem corrigit, et saporem gratum impertit. In regionibus Angliae occasum et austrum versus, vinum pomaceum et plumbum saepissime contigua esse constat, nam instrumenta varia, quibus liquor in usum

paratur

* Vid. Act. Med. Lond. Vol. i. ii. iii.

paratur partim ex plumbo exstrui solent ; et, quod saepius veneno metallico originem dat, plebicula ex ollis fictilibus *oxydo* plumbi incrustatis vinum suum plerumque hauriunt : Vinum igitur sic paratum vel epotum hoc veneno inficitur, quod experimentis plurimis fatis superque probatur. In his Angliae locis morbus colicus admodum frequenter occurrit.

In Herefordia et comitatu Vigoniensi, in quibus vini pomacei usus haud minus increbuit, apparatus ad liquorem parandum nihil plumbi plerumque habet, nec vasa, quibus incolae vulgo utuntur, eodem incrustantur ; hic autem loci morbus vix ac ne vix quidem visus est. In quibusdam comitatus Glocestriensis partibus torcularia plumbo obducuntur, ibique Colica Pictonum nimis familiaris est.

Praeter exempla jam memorata, sunt quaedam specialia quibus probatur, eos, qui hoc vino puro ac sincero assidue utebantur, et veneno plumbi aliis modis non simul objicie-

D

2 bantur,

bantur, nunquam hujus affectionis signis tentatos; necnon e contra eos, qui vel exiguam portionem hujus vini plumbo infecti hauriebant, fummis morbi cruciatibus infestatos esse *.

Ingens factorum copia, quae vinum purum, quanquam crudum ac austerum, Colicae Pictonum inducendae impar demonstrant, in medium proferri potuisset: supra autem recensita satis ad hanc sententiam comprobandum videntur.

Tormina ficca, ut vocantur, Indiae Occidentalis Colicae Pictonum, tum signis tum morbis supervenientibus, respondent; et ex
usu

* Cel. *Fothergill* exemplum, qui ad rem pertinet, memoriae tradit. Quidam, vinum pomaceum e vasis plumbo incrustatis biberunt, et Colica Pictonum graviter affecti fuerunt; dum alii qui vino ex eodem dolio deprompto, aut ex vasis ligneis epoto, utebantur, morbo penitus immunes evaserunt. *Vid. Fothergill opera, Vol. ii. p. 270.*

usu immodico spiritus sacchari recens parati provenire feruntur; est autem cur suspicemur hunc liquorem culpae immerito infimulari. Experimentis celeb. J. HUNTER, causam hujus colicae indagandi gratia ex industria institutis, satis manifeste patet, morbum plumbo, quo liquor inter distillandum imbuitur, oriri; Tubi enim instar spirae convoluti, per quos liquoris vapores transeuntes densantur, magna ex parte ex plumbo componuntur*.

His rebus enumeratis, temeritatis foret asserere, Colicam Pictonum ex ulla alia causa, quam potu incolarum usitato plumbo inquinato, tam frequenter regionibus modo memoratis oriri. Negari non potest quin causa effectui gignendo par sit, et naturae constantiae et simplicitati, et verae philosophandi legi, effectus similes causis similibus tribuere convenit.

* Acta Med. Lond. Vol. iii. 14.

convenit. Infuper cum nobiscum reputemus ufus fere innumeros, artes et luxus quibus plumbum infervit, facile concedemus idem, corpori humano, modis neque observatis neque suspectis, infinuari poffe. Cumque igitur manifetiffimum fit plumbum, in omni fere exemplo ubi in corpus recipitur, Colicae Pictonum figna plus minus inducere; cumque ob ufum ejus univerfum verifimile fit omnes, qui hoc morbo corripuntur, viribus ejus nocentibus objectos fuiffe; idem veram, immo folam, Colicae Pictonum caufam effe minime mihi absurdum concludere videtur.

DE RATIONE SYMPTOMATUM.

Traditis jam caufis, quibus adducor ut credam plumbum effe caufam folam efficientem Colicae Pictonum, expectationem modi ejus agendi rationem reddendi forfan commovi: hoc autem, utpote quod in difquifitiones parum ad rem pertinentes, necnon vanas forfan

et inutiles viam aperiat, praetermittam. Nec confiteri haereo me non valere quorundum signorum notabiliorum rationem reddere: Cadaverum quidem incisio nonnulla nos docet: Dolor, alvi durities, vomitus, &c. spasmus, motui intestinorum abnormi, inverso, strictionis et, quae inde sequitur, obstructioni tribuenda videntur.

Organorum quae urinae inserviunt affectio, vel ex consensu haec inter et intestina, ob partium vicinitatem et nervorum nexum, vel ex ipsa plumbi actione pendere potest: constat enim urinam Colica Pictorum conflictantium plumbo insigniter imbutam esse*.

Paralysis et atrophia, quibus haec affectio mirum in modum insignitur, vix ac ne vix quidem explicari possunt. Difficultas haud parum augetur hinc, quod hae affectiones partes

tes

* Vid. Notam ad § 46. Tractatus G. *Hsemann* supra citati.

tes quasdam prae cæteris, illa artus superiores, haec vero musculos speciales, plerumque occupant. Ex omnibus conjecturis, quae mihi inter legendum occurrere, illa quam cel. DE HAËN proposuit hunc nodum facillime solvit: haec conjectatio innititur experimentis PETIT et observationibus WINSLOW*, ex quibus probabile fit nervos sympatheticos magnos, non ex ramis reflexis paris quinti et sexti capitis, ut vulgo fertur, sed potius ex nervis vertebralibus originem suam ducere. Hi nervi pluribus gangliis in decursu suo ad spinam instructi sunt, unde functionibus sibi propriis accommodari videntur: commercium amplissimum cum omnibus corporis partibus habent. Fieri potest ut portiones horum nervorum in abdomine sitae, ob intestinorum proximitatem et ramulos fere innumeros in intestina diffusos, aliquid detrimenti a causa morbi

* Vid. Anatom. Sect. 7.

morbi efficiente capiant; unde vis nervosa, qua hi nervi corpus animant, minuatur oportet. Manifestum est illas corporis partes, quas inter et hos nervos maximus intercedit nexus, maxime affectum iri: hinc si nobis concedatur, artus superiores et quosdam musculos majorem cum his nervis quam caeteras partes nexum habere, ratio paralyfis et atrophiae minime contemnenda reddetur. Haec autem pro conjectura modo habenda est;—valeat quantum valere potest.

DIAGNOSIS.

Plures existunt morbi quibus haec colica specialis confundi potest: plerumque tamen, modo animum ad signa et causas rite advertamus, morbum ab aliis omnibus fecernere valebimus. Distinctio sub morbi initium, cum colicam spasmodicam vulgarem admodum aemulat, haud raro difficilis, immo nonnunquam minime fieri potest. Colica autem
 spasmodica

spasmodica plerumque est minus fixa ac diuturna, dolores paroxyfmi sunt magis fugaces, nec unquam tranfitu cruciatuum veloci, qualis faepe Colicam Pictonum infignit, comitatur.

Satis liquido plerumque a dyfenteria dignofcitur; pyrexia qua haec incipere folet, tenefmus et dejectiones frequentes, mucofae vel fanguinolentae, plerumque omne hos morbos confundendi periculum tollunt: porro obfervandum eft tormina dyfenterica dolorem colicum per breve tempus tantum acerbitate adaequare.

Plures auctores Colicam Pictonum *metalliam* inter et Colicam Pictonum *vegetabilem* discrimina depingere conati funt, rati illam impetum fubito facere, retractionem abdominis ab initio adefle, et dolorem atrocem preffu leniri: hanc autem tarde, fignisque paulatim ingravescentibus, cum aucta abdominis fentiendi facultate et preffus impatientia, accedere. Docet autem experientia has diftinctiones
efle

esse fallaces, et has morbi varietates in diversis exemplis ex eadem causa oriundis evenire.

Resolutio membrorum, quae hunc morbum excipere solet, nonnihil proprium sibi habet, nam motus partium affectarum solus plerisque in exemplis imminuitur, sentiendi facultate integra vel etiam magis acuta facta; debilitas quam inducit paullatim accedit, et motus obscurus plerumque superest. Atrophia in hoc morbo multo insignior est quam in paralyfi ex aliis causis enata; et musculos quosdam, veluti deltoiden, musculos pollicis &c. prae ceteris infestat: necnon observari potest paralyfin, Colicae Pictonum supervenientem, artus superiores multo frequentius solos occupare.

Cognitio autem causae excitantis dux est erroris maxime expers, et nos ad plenam atque perfectam diagnosin deducere queat. Si ex vitae genere, aliisve rebus circumstantibus, aegrotantem venenatis plumbi viribus objec-

tum fuisse constet, omne dubium de natura morbi penitus evanescit.

PROGNOSIS.

Hæc quidem pro signorum gravitate, morbi duratione, et tempore, per quod aegrotus causae excitantis viribus objectus fuerit, variet oportet: Si colicae signa leviora sint, et remediis adhibitis brevi cedant; si valetudo in reliquis sana sit, et paralyfis non sit insignis, morbum radicibus sublatum iri magna cum fiducia speremus. Sin autem e contra signa diu et paulatim aucta fuerint; si dolor fere perennis et acutus existet; si stercus instar globulorum indurescat; si abdominis tumor inaequalis fuerit; si macies insignis fiat; si affectio paralytica gravis atrophia commitetur; si denique causa occasionalis diu admota fuerit,—quo haec omnia graviora fiant, eo magis in angusto spes erit.

Nonnulli

Nonnulli quidem ex toto sanantur; anatomicæ autem docet morbi sanationem, quibusdam in exemplis, penes medicinam non esse. Etiam si doloris paroxysmus consopiat, canalis tamen alimentarii fabrica adeo mutari ac torqueri potest, ut perpetua insanabilisque in morbum proclivitas superveniat. Frequentes impetus, et dejectiones scybalorum sunt omnis infausti, colon enim stricturis affici indicant.

METHODUS MEDENDI.

Minime proposito convenit, diversas hujus morbi tractandi methodos a diversis medicinae cultoribus laudatas, in medium proferre. Hoc omisso, illam medendi rationem quam experientia, tum ad signa molestiora levanda, tum ad superventura arcenda, vi maxima pollere testatur, paucis complecti conabor.

Quamprimum fieri potest post paroxyfmi accessum, ventriculum cruditatibus suis onustum liberare utile erit; et copiosus aquae tepidae vel inf. chamaemeli haustus huic consilio favebit; ventriculo hoc modo aliquantum sedato, ad *opium*, (divinum illud miserorum solamen) quo nausea et dolor abdominis atrox consopiantur, statim confugiendum est, et in usu ejus binas vel ternas horas persistere debemus, donec votis nostris potiamur: Si opii dosis solita huic fini impar reperiatur, pro signorum vi ac pertinacia augenda est. Si ore sumptum parum proposito responderit, lotiones anodynae injiciendae. Alterutra horum methodorum plerumque paucarum horarum spatio inducias paciscetur.

Postquam vomitus cessatio, atque doloris remissio, actionem intestinorum abnormem et spasmodicam aliquatenus domitam indicaverint, ad rem erit intestina quamprimum evacuari: et hic loci observandum est, acria

atque

DE COLICA PICTONUM.

atque calefacientia cathartica caute vitanda; morbi enim initio administrata dolorem augere, protrahere, et etiam opio pacatum renovare, experientia constat.

Mitiora igitur cathartica, vel illa quae alvum absque tunicam intestinorum musculosam irritando leniter ducunt, sola utenda; et haec etiam opio conjuncta, quod et dolorem sedare, et cathartorum laxantium actioni favere, observatur.

Sales medii, et potissimum magnesia vitriolata, vel chrystalli tartari cum aqua menth. piper. quae impediatur quo minus vomitu rejiciantur, saepe cum successo felicissimo praescribuntur. Alumen etiam, dosibus saepe iteratis ad constipationem vincendam voratum, omni laude dignum videtur*. Dolendum est ventriculum Oleo Ricini frequenter ingravari, et ad vomendum iterum cieri: Si forte
hos

* *Percival's Essays*, Vol. i. p. 401.

hos effectus non edat, huic morbo, quippe quod tanta lenitate et etiam vi agit, et verifimiliter intestina lubricat, et eorum, quae in ipsis continentur, ab acrimonia defendit, eximie accommodatur.

Lotiones emollientes ac oleosae, praecipue si alvi durities medicamentis laxantibus ore sumptis non cedat, magno cum fructu adhiberi solent.

Balneum tepidum dolorem statim levat, et viribus quibus in corpore relaxando et motu intestinorum abnormi sedando pollet, cum caeteris remediis mirum in modum conspirat.

Epispastica abdomini admota levamen saepe brevi afferunt; et observatione constat cathartica illis admotis citius et efficacius egisse.

Sanguinis detractio, abdominis, et artuum doloribus mulcendis, prima facie accommodata videtur: Usus autem scalpelli, quippe qui omnia signa pertinaciora, sublato difficiliora reddat

reddat, debilitatem auget, et paralyfin fere semper inducit, jure damnandus est: HUXHAM, experientia doctus, hoc remedium enixe increpat*.

In intervallis animum advertere debemus ad vires aegri morbo defectas sustinendas; quod fieri potest cibo blando ac nutriente, qualia sunt tenuia ex carnibus jura, et juscula gelata, modice sumpta.

Raro quidem aegrotanti datur, ut post unum paroxysmum morbo immunis evadat, signa enim saepius recrudescere solent: siquidem aeger perite tractatus erit signa, progrediente, morbo, paulatim leviora fiunt, donec tandem aliquando penitus evanescant: contra vim gravitatemque signorum contendendum est auxiliis supra memoratis prout res postulaverint iteratis, et pro rebus circumstantibus modificatis.

Sublata

* De Merbo Damnoii. P. 25.

Sublata penitus colica, medicamentis, si viscera statum pristinum recuperarint, diutius opus non est. Valetudo integra, et vires non nisi post diem longum redire solent: et in pluribus exemplis morbus inveteratus fit, quo aeger nunquam penitus immunis evadere potest. In hoc morbi statu parum commodi ex medicina sola, nisi simul regimini ac diaetae summa cura impendatur, oriri potest. Aegro a frigore, humore, aliisque causis occasionalibus sedulo cavendum erit: Tanta est enim in morbum proclivitas, ut exiguae a regulis praescriptis aberrationi, vel levissimae intemperantiae, gravis paroxysmus supervenerit.

Cum alvus ad adstrictionem proclivis sit, istiusmodi proclivitati cathartico quodam miti ac efficaci, quod morbi reditus rariores et minus graves reddat, occurrere utilissimum erit.

Quando muscoli infirmantur et marcescunt, et viscera, quae alimentorum concoctioni inserviunt, magno torpore et insigni debilitate afficiuntur,

afficiuntur, cibus levissimus concoctaque facil-
limus solus aegro accommodatur. Medicam-
enta tónica, amara et ferrata utilia forsan
fiant, et roboris aliquantulum restituant.
Omnes autem conatus ad sanitatem inte-
gram restituendam plerumque incassum ten-
tantur. raro enim aegro plus proficere va-
lemus quam eundem valetudinarium red-
dere.

Quod ad paralyseos curam spectat haud mi-
hi videtur natura diversa ab illa, quae nervo-
rum resolutioni ex aliis causis oriundae ac-
commodatur: Quicquid facit ut stomachus
et intestina ex malignis colicae effectibus con-
valeſcant, hujusque redditui obſtet, imprimis
in hac paralyſi indicatur. Sunt quaedam aë-
grorum exempla qui medicamentis ſtimulan-
tibus, tum interne tum externe adhibitis,
frictione, balneo tepido, &c. ſanati fuerunt:
Balneum etiam frigidum felici eventu admo-
tum fuit; hoc autem auxilium, ſi animum ad

intestinatorum mobilitatem advertamus, anceps videtur. Roborantia generalia, cortex Peruv. amara, ferrata, et diaeta lauta ac boni nutrimenti, saepe votis responderunt. DE HAEN grave testimonium profert effectui secundo ex diaeta lactea, et virtute electrica *. Aquae Bathonienses, ventriculis infirmatis salutiferae, pluribus in exemplis faelicissimos effectus praestitere; et saepe intestinatorum torporem, et proclivitatem in duritiem, multis aliis remediis frustra tentatis, mirifice sustulerunt.

DE PROPHYLAXI.

Dolendum est metallum, quod ob dotes suas mirandas tot usibus inservit, et a natura provida tanta copia ubique fere terrarum supeditatur, viribus adeo malignis in corpore humano pollere, ut effectus saepe insanabiles edat.

* Rat. Med. supra citat.

edat. Tanti autem nunc dierum, ob magnam utilitatem quam vitae offert, aestimatur, et tam generatim usurpatur, ut usu ejus haud facile supersedeatur: Hinc haud parum interest indagare quam ratione ab effectibus suis nocivis optime caveatur.

Quos fors iniqua ad artes exercendas, quibus hujus veneni actioni objiciuntur, damnat, his cibis pinguis et oleosus optimum est antidotum: hoc quidem bene norunt qui plumbum effodiunt, vel aliis modis ejus viribus exponuntur. Constat observatione, hos, qui jusculo pingui, butyro, oleo, caseo, &c. multum vescuntur, a venenatis plumbi effectibus magna ex parte immunes evadere; dum alii, qui hoc victus genus negligunt, brevi signis Colicae Pictorum corripuntur. Istiusmodi alimenta oleosa, concoctu difficilia, intestina lubricare ac defendere possunt, et plumbi particulas in stomachum receptas quasi visco illinant,

nant, et metallum sic innocuum et iners per primas vias transire queat. Anceps autem haereo annon modi, quo oleosa morbo occurrant, ratio feliciter reddatur, ponendo eadem plumbi chemice conjungi, et substantiam mediam et innocuam, saponem scilicet metallicum, efficere. Praeter haec monita dietam spectantia, horum opificum vestimenta frequenter mutanda sunt; iisdem praecipendum ut munditias colant; frequenter se lavent. Corporis inunctio auxilium haud contemnendum mihi videtur: Aerem hujus metalli effluviis imbutum quam minime respirare debent; cui ut occurratur plura artificia excogitari possent.

In exemplis ubi vires plumbi astringentes, et administratio ejus interna necessaria videantur, opium ei conjunctum effectibus, quibus intestina afficere solet, salva ejus vi restringente, plerumque occurrere compertum est. Multi idem oleo commixtum administrandum commendant;

commendant ; mali quidem effectus hoc modo praecaveri possunt, consilia autem praescribendi eodem modo frustatum iri verisimile mihi videtur.

In mente fuit perpauca dicere de modis, quibus facillime judicare possumus, utrum vinum vel alii liquores plumbo inficiantur, necne : fines autem hujusmodi opusculorum jamdudum transgressus, hoc, licet haud levis momenti, et ad rem admodum pertinens, invite omnino praetermittam.

F I N I S.

comendant; mali quidem effectus hoc mo-
 do praecaveri possunt, consilia autem praecor-
 pendi eodem modo institutum in verisimile
 mihi videtur.

In mente fuit perperna dicere de modis
 quibus facillime judicare possumus, utrum
 vinum vel alii liquores plumbo insiciantur,
 necne: sires autem hujusmodi opusculorum
 jandubium transgressus, hoc, licet haud levis
 momenti, et ad rem admodum pertinens, in-
 vite omnino praetermittam.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

